SACRVM.

VIRIS.

ILLVSTRI. MAGNIFICIS. GENEROSIS.
ET. CONSVLTISSIMIS.
PRAECONSVLIBVS. DE. CIVITATE. THO-
RUNIENSI. LONGE. MERITISSIMIS.

DOMINIS.

IACOBO. MEISNER.

BVRGGRAVII. DIGNITATE.

ALBERTO. BORKOWSKI.

PRAESIDIS. FASCIBVS.

ANTONIO. GIERING.

VICE-PRAESIDIS. HONORIBVS.

A. R. S. CIↃIↃCCXXXVIIII. MARTII. VNDECIMA.

ORNATIS.

SVMMA. CVM. DEMISSIONE. ANIMI.

OFFERENTE.

MANASSE. BOEHM. TH.-CVLT.

REGIOMONTE.
LITTERIS. REVSNERIANIS.

INdulge, Pallas! ad tempus tura neganti,
quae tibi debentur, mox repetenda mihi.
Neſcio, quis dulcis perfundat viſcera ſenſus?
alliciunt mentem patria rura meam.
Omnia ni fallant, me Viſtula ferre videtur:
expoſitus prora litore figo pedem.
Implicitas cerno nymphas celebrare choreas.
Quid ſubſit cauſae? noſtra camena petit.
Redditur: en rediit poſt ferrum temporis aurum:
Aſtraeam reducem regia priſca fouet,
quae quondam Martis diram perpeſſa ruinam,
ad mage ſplendeſcens eſt reuocata decus
Aſt quod materies plauſus eſt maxima noſtri,
hoc eſt, quod ſummas *Optima Triga* tenet.
Singula tum capitum cecinerunt nomina raris
cum meritis: mox ſe miſcet arundo mea;
ſed ſemel immiſſo ſpiramine tota fatiscit:
quod nimis exilis nomina tanta pauet.

Ingre-

Ingreditur tandem muros mea muſa Thorunae.
Occurrunt dantes oſcula blanda ſibi
pax & amor recti. Trepidant iniuria frausque.
Integritas poſito iactat aſyla metu.
Orphanus oblitus, quos abſtulit vrna, parentum
iam patriae patres praedicat eſſe ſuos.
De fulcris pietas laetatur neſcia fuci,
in quibus excellens pendet imago ſui;
ciuibus hanc ſiſtit ſectandam: mira regendo
in populo virtus faſcibus vnde venit.
Quam ſuaues aer motus mihi voluit in aures
concentus! memini: fundit ab ore melos
Phoebo ſacra cohors, quae me ſibi iunxerat olim,
parnaſſi cantat ditia flore iuga:
Praeſidibus tantis vt ſero deſinat vti,
vel numqvam, numen ſupplice voce rogat.
Adfectu pariter calido cui patria curae
& cordi, votis poſtulat omnis idem.
Interſint ſalui clauo moderaminis! aura
magnos conatus dirigat vsque fauens!
Sic tumidos puppis fluctus ſecura ſecabit,
ſaxorum fugiens inuiolata minas.

Exci-

Excipiunt fuſum popularia iubila votum.
Hiſce repleta fremunt atria, tecta, fores,
atque ſtrepunt calles; penetrat quin ſtridor acutus
letaeas ſedes: aduolat vmbra patris,
meque videns quaerit: qui cerno cuncta ſereno
vultu? laetitiae quid ſibi feſta volunt?
Obtutu ſtupui primo: vox faucibus haeſit.
Rurſus quaeſito linguaque mensque redit.
Vrbs applaudit ouans regi votisque ſenatus,
quod ſua ſint lectis tradita ſceptra viris.
Sunt illi, quorum fuit in te prona voluntas;
quam ſuccedenti poſt pia fata tibi
haud dedignantur quoque conſeruare parenti.
O bona, mi fili, reiicit ille, noua!
Praebuit ergo meis precibus ter maximus aures.
Florent Atlantes vrbis, & ipſa viret.
Alma tutela gaudent quae tecta reliqui:
plurima cuius erunt experimenta tibi.
His dictis, oculo ſe ſe ſubducit imago.
Velis ſpe plenis nos iteramus iter.
